

D E M E D I I C O E L I P R O G R E S S I O N I B V S

& senes in odio erit. Martem uero nati, aut occidit hic occurfus, aut graui ualitudine affligit.

Contra, quando Medio caeli, aut eius domino occurrit trinus, uel sextilis Saturni, subditi, & maxime qui de Saturni proprietate fuerint, natum ad honores, & dignitates euehent, in magistratum eligent, publica reipublicae munia ei committent, & quantum poterunt commodis, & honoribus nati studebunt. Caeterum in edificando, agricultura, & quibuscunq; artibus, aut rebus Saturno subiectis, hic occurfus natum foelicem fore promittit, pro geniturae tamen ratione.

Medio caeli, aut domino eius si occurrit Iupiter, eius trinus, sextilis, uel terminus, confert nato dignitates, & honores per personas religioni addictas, quales sunt Pontifices, Praelati &c. Item subleuat natum etiam ex infima sorte ad honores, & magistratus, pro geniturae tamen ratione. Porro tempore huius occurfus natus ex suis actionibus, studijs, aut artificijs, honorem, & utilitatem habebit. Item natus, & mater eius bona corporis ualitudine fruuntur, modo Luna a maleficis non inficiatur.

Sed cum Medio caeli, aut domino eius occurrit quadratus, uel oppositus Iouis, contra religioni addicti, item iurisperiti, iudices, & Iouiales nati honoribus, actionibus, & negocijs aduersabuntur, & omnibus conatibus natum impugnabunt.

Medio caeli, aut domino eius si occurrit Mars, eius quadratus, oppositus, aut terminus, facit infensos nato Martiales homines, ut opponant se honoribus, & dignitatibus nati. Quare prudenter sibi natus caueat, ne ab ipsis, aut eorum gratia deponatur magistratu, & praeparet se ad ferendas iniurias, & calumnias Martialium publice, & priuatim. Hoc enim tempore sese offerent occasiones, quibus specimen suae modestiae natus praebet. Item hic occurfus matri grauem morbum, aut mortem minatur.

At contra, Medio caeli, aut domino eius quando occurrit, trinus, uel sextilis Martis, honores, dignitates, magistratus, aut publica officia a Martialibus, uel eorum gratia largitur, uel natus eadem consequetur ex artibus, uel actionibus de natura Martis, per militiam, ut per aliquod fortiter factum in acie, aut aliqua oppugnatione, uel per artem aliquam tractandi tormenta bellica, ponendi insidias, adoriendi hostem &c.

Quando medio caeli, uel domino eius occurrit Sol, eius trinus, uel sextilis, efficit ut magnates, equestris ordo, & in genere omnes magistratus, nato honores & dignitates conferant, & eum summo fauore, & beneuolentia prosequantur, & in magistratum sibi adiungant, ac publica committant munia. Porro hic occurfus natum quoq; facit magnanimum, honorum appetentem, nihil humile cogitantem, & nullius rei praeterquam laudis auarum. Quare omnes actiones suas natus eo dirigit, ut reipublicae profint, & ipsi laudem, & claritatem pariant, quae de sui natura comitantur commoda quam plurima. Sicut autem eadem haec matri sunt consolationi, & uoluptati, ita etiam iste occurfus bonam ualitudinem matri decernit, ac reliqua omnia prospera.

Sed quando Medio caeli, & eius domino quadratus, uel oppositus Solis occurrit, laeditur autoritas, & dignitas nati per aliquem magnatem, uel equestris ordinis hominem. Aut enim per tales priuatur publico munere, aut magistratu iubetur discedere, aut alias actiones, & magisteria eius impediuntur. Denotat hic occurfus matri calidas aegritudines.

Medio caeli, aut domino eius quando occurrit Venus, eius trinus, sextilis, uel terminus, per matronarum, & mulierum fauorem, euehit natum ad honores, & dignitates, Huius occurfus tempore natus dignitates, aut publica munera a personis de Veneris natura consequitur, & praeficitur quandoq; Gynecijs non inuitis, con-

uerfas